

II. Legatio seu secundum legationis tempus fuit ab interitu occidentalis imperii circiter usque ad tempora Caroli Magni, qui id restituit. Eo tempore vocatos dicimus pauperes, debiles, cæcos, et claudos, qui habitabant in vicis et plateis, id est, qui terras extra Romanorum fines incultas et agrestes colebant, erantque homines omnino rudes in moribus et scientiis, ad hæc exiguis facultatibus et fere pecuniam vitam agentes: unde a Romanis omnes barbari dicebantur. Quibus addimus paganos, id est, eos qui intra fines Romanorum, sed in pagis tantum idola colebant.

Modus vocationis erat, adductio per beneficia et promissa. Imprimis enim Constantinus M. dum innumera Christianis privilegia concessit, multas exterarum nationes ad fidem Christi adduxit. Alii finitimi populi videntes Christianos ab imperatore Romano pluris fieri, ut amicitiam et pacem cum iisdem obtinerent, fidem eorum suscipere. Eorundem exemplo adducti populi trans Danubium et ultra Rhenum et qui ad oceanum Germanicum habitant. Alii divinis adducti sunt beneficiis, uti rex Francorum Clodovæus cum suis ob partem de Saxonibus victoriam, quam voto religionis christianæ obtinuit. Similiter Burgundionum gens ultra Rhenum posita, quæ vitam a republica gerenda remotam ducebat et ex arte lignaria vivebat, cum ab incursionibus Hunnorum sæpe vehementer affligeretur, rebus desperatis statuit querere sibi Deum a quo defendi posset, talemque esse Deum Christianorum audiens episcopo Galliæ se erudendam in fide tradidit: post audaciores facti gentem Hunnorum numero longe superiorem invaserunt et fuderunt, Niceph. l. XIV. c. XL. Quibus adnumerari ipse Constantinus M. potest, qui crucis beneficio victoriam obtinens et baptismo lepram expians Christianus factus est. Alii item pauperes et ignari beneficiis, quæ a sanctis viris acceperunt, ad fidem ducti sunt, uti Iberes beneficio feminæ christianæ, quæ regis filium infirmum miraculose sanavit, Niceph. l. VIII. c. XXXIV. et Armeni cum in suos degenerassent, et se mutuo devorare incepissent, consilio Gregorii sancti viri, moniti sunt fidem recipere, si restituti sibi vellent, ib. c. XXXV. item Indi interiores opera et industria S. Frumentii; ib. Maruthas episcopus ab imp. Ro. ad Persarum regem missus, capitis dolore diuturno afflictum, quem magi curare non poterant, orationibus sanavit, eidemque postea dolos et imposturas inagorum, qui ex occultis terræ cuniculis regi malum præsagebant quasi ex oraculo aliasque similes fraudes a se deprehensas detexit; unde factum ut fides in Persia propagaretur, licet rex defunctus sit, antequam Chri-

stianus fieret, hist. Trip. l. XI. c. VIII. similiter aliæ nationes barbaræ cum variis irruptionibus in terras Romanorum factis, inter alias prædas, Christianorum quoque sacerdotes abducerent, a quibus postea infirmitates curabantur, et solo Christi nomine dæmones fugabantur, videntes hæc et una vitam eorum inculpata, suavi isto modo ad fidem pervenerunt, Niceph. l. VIII. c. XXXIII. Saraceni imperante Valente nomen dederunt Christo, Moysis monachi sanctimonia et miraculis permoti: ad numerum inopum et illitteratorum et ipsi pertinentes, Sarmatæ cum audissent Constantinum M. victoriam a Deo mirabiliter obtinuisse, quod Christum coleret, constituerunt et ipsi Christo se devovere, Socr. l. I. c. XIV. Germani permoti miraculis et sanctitate S. Bonifacii, Ruperti, Wilibaldi, Burchardi, etc. necnon beneficiis ab eis receptis.

Ingo dux Venetorum, qui ad fontes Dravi et Savi habitant (nunc Carinthii) satrapas suos adhuc gentiles hac arte convertit. Convivium instituit lautum, et vilem plebeculam simul cum equestris ordinis proceribus invitavit, et nobiles quidem præ foribus recumbere iussit et pane tantum cibario et caruncula rancia pavit, vinumque in vasis fictilibus austerum illis apposuit, sed agricolas suæ mensæ adhibitos lautissime tractavit, et vinum poculis aureis atque argenteis proposuit. Cum ergo nobiles id indigne ferrent, atque in sui contumeliam hoc fieri dicerent, respondit se ideo rusticos ad mensam suam adhibuisse, quia essent baptismum abluti: illos vero nobiles foris reliquisse, quod sordibus ethnicis squalentes, hircum impietatis olerent. Illi ergo hoc sermone confusi, certatim ad s. fontem properarunt, refert Tymp. in spec. magistr. sign. LXXV.

III. Tertium tempus est a Carolo M. usque ad iudicii diem. In hac ultima legatione vocati sunt qui in viis et sepibus morabantur, id est, hæretici, qui in vias diversarum opinionum abierunt, ut exponit S. Augustinus, ep. XLVIII. ad Vincentium, et criminosi alii, qui graviter deliquerunt, et ideo quodammodo inter sæpes latitant. Et isti compelli possunt hæretici, quia viam semel ceptam deseruerunt, et fidem datam Ecclesiæ fraudarunt, scelerum vero aliorum rei compelli possunt ut vel penas luant, quas meruerunt, vel ut Christo nomen dent, si absolvi velint. Nemo quidem absolute compelli ad fidem potest, nisi in casibus prædictis.

Et quidem hæretici, non aliter ac miles qui semel sacramentum fecit, ac militiam adstringitur, et qui matrimonio junctus est, ut in eo persistat. Ita Saxones a Carolo Magno undecim præliis per annos triginta fere durantibus, cum nullis fœderibus starent, nec fide quam professi

erant, tandem armis domiti redire ad Ecclesiam compulsi sunt, Rheginone auctore: sic Bohemi quoque postquam cum Borivorio duce suo nomen Christo dederunt, eundemque ob id postea regno expulsi, rege armis restituto, compulsi sunt ab eodem ad fidem servandam et impii ferro necati, iidem postea sæpius fidem fallentes vi reducti sunt ad illam, Dubrav. lib. V. Rugiani Ludovico imperante, Christo nomen dare cœperunt, mox ab eodem defecerunt, donec Walderamus Danorum rex exercitu ducto illos devicit, secumque adductis obsidum loco filiis nobilium, reliquos ad Christi doctrinam reduxit, anno 1168. Ipse rex Rugianorum postmodum apostolus gentem feram et rudem partim prædicatione assidua, partim minis ad religionem christianam convertit, Helmold. l. II. c. XII. et XIII.

Secundi generis sunt Prussi, qui cum ob plurimas Christianorum cædes essent pœnæ capitali obnoxii, a Boleslao Polonorum rege ferro domiti, pacem ea conditione, si Christum sequerentur, impetrarunt (unde et hodie rex Prussiæ vassallus est regis Poloniæ): fecere imperata et demoliti sunt fana et simulacra falsæ superstitionis. Paulo post a veritate defecerunt, post annum vero 1250. a Cruciferis Teutonicis ordinis rursus devicti, religioni christianæ se reddiderunt. Qui etsi nunc in potestate principis hæretici sint, spes tamen est eosdem suo tempore rursus devicti, religioni christianæ se reddendos et compellendos, Cromerus, l. VI. Slavi vitam patriamque, quam multandi erant, ob atrocitatem, incursiones, cædesque in Christianorum confinibus factas, christiani cultus amplecti redemerunt, victi ab Othone Magno; postea iterum deficientes, cum innumerabiles Christianos occidissent, ut eorum numerus libro comprehendi non posset, ut ait Helmoldus ab Henrico I. imperatore præliis superati ad fidem redire coacti sunt, Helmold. l. I.

Iaziges item sub annum 1263. a Boleslao Pudico victi, ad religionem christianam, ut sibi vitam propter scelera patrata morti addictam conservarent, convolarunt, Thom. Bozius, de sign. eccl. l. IV. c. IX.

His adjecti non ita pridem populi novi orbis, qui ob violata jura naturæ, compulsi sunt a Lusitanis ad fidem vel reducti postquam defecissent. Spes etiam est adjiciendos istis in dies hæreticos, qui partim ob injurias Ecclesiæ illatas, merito compelli possunt ad Ecclesiam catholicam; partim quia ab Ecclesia jam semel discesserunt. Et quam felix est hæc necessitas, quæ compellit ad meliora? O si intelligerent, quanta Dei gratia foret, compelli ad ovile Christi! Quam ipsi ultro advolarent! Speremus igitur

tur bene de eorumdem reductione: quia adhuc locus est in cœna illa cœlesti, et multi adhuc populi Ecclesiæ adjiciendi sunt; quod faxit utinam cito Deus.

## CONCIO VIII.

QUID RETINEAT HÆRETICOS, NE CONVERTANTUR.

I. Villa, quæ significat: 1. Bona temporalia. 2. Parentum et majorum fidem. — II. Jura boum, quæ donant quinque sensus. — III. Uxor, quæ designat libertatem carnis. — IV. Pauperes, cæci, claudi in Ecclesia.

## THEMA.

Cœperunt simul omnes se excusare. Luc. XIV.

Inter illos, qui ad cœnam Ecclesiæ Christi vocantur postremos esse hæreticos, qui in viis variarum opinionum et sepibus divisionum sedent, vult D. Augustinus. Primo enim Judæi, primo invitati, venire recusarunt: secundi sunt gentiles, qui introducti venerunt: tertii hæretici, qui compelli ad intrandum debent. Et sane multi sunt legati, qui hæreticos ad Ecclesiam vocant, imo compellere debent. Tales sunt imprimis miracula, quæ semper in catholica fuere Ecclesia, nunquam apud hæreticos: talis est Ecclesiæ catholicæ universalitas, quæ sola per totum orbem diffusa est: talis ejus unanimitas et consensus in omnibus fidei articulis; quæ apud hæreticos minime reperitur: talis ejus antiquitas, ab apostolorum tempore ad nos usque perseverans, ut testantur antiqua templa, monasteria, episcopatus, majorum nostrorum monumenta, libri, ritus, ipsa lingua nostra vernacula: talis ejus perpetua gubernatio sub Romanis pontificibus a Petro ad hodiernum usque: talis est sanctorum catalogus, qui non nisi catholicos et Romanæ Ecclesiæ membra continet. Hæc omnia si perpendere vel paululum vellent hæretici, mirum foret, ni venire ad Ecclesiam compellerentur, sed fit nimirum quod Dominus prædixit: Cœperunt simul omnes se excusare. Retinentur enim a variis impedimentis, quæ tamen nullius sunt momenti. Audiamus ergo excusationes illorum.

I. Triplices adhibere excusationes qui ad cœnam non venerunt. Alius dixit: *Villam emi et necesse habeo exire et videre illam*: alius: *Jura boum emi quinque, et eo probare illa*: alius: *Uxor emi duxi, et ideo non possum venire*. His eisdem vel etiam pluribus modis excusant se hæretici, ne ad Ecclesiam veniant.

Alius dicit: *Villam emi*. Ita illi primo, qui ob bona temporalia, prædia, mercantias et similes commoditates temporales manent in hæresi, ad instar illius juvenis, qui vocatus a Christo abiit

tristis, quia dives erat, sed audiant hi Scripturam (siquidem per Scripturam tantum convinci volunt.) Igitur: *In lege quid scriptum est? Quomodo legis?* Matth. VI. dicit Dominus: *Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, id est, ante temporalia; et Matth. XVI. Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Nonne hic aperte dicitur regnum Dei postponendum aut relinquendum non esse propter temporalia commoda? Quid enim sunt quæso temporalia omnia? Villa sunt, domus rustica et rudis, pecudum stabula, juga boum sunt. Et hæc non aliter possident homines nisi fere per aspectum. Ambitiosi enim honores, divites opes suas solum cernunt, nec aliter possidere possunt: *Necesse habero exire et videre illam*, inquit ille. Et isti vel exeunt de Ecclesia vel extra illam manent, quia necesse habent videre bona sua paucula et inania. Et quid interim negligitis? Quid perditis? Regnum cælorum: et fit ut utroque spoliemini, villa mundi et regno Dei. Quis ergo non videt horum amentiam? *Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua?* Quid faciunt periclitantes in mari? Annon adjiciunt merces, ut ipsi salvi sint, licet etiam retentis mercibus sperare salutem possint et incolumitatem? Quid faciunt ii, quorum domus ardet? Nonne ut seipsos salvent, omnia dimittunt? Tu vero si propter bona temporalia fidem deseris, sperare salutem nequis. Huc pertinent illi juvenes et juvenulæ, qui adhuc ad religionem indifferentes, nolunt se resolvere de ea amplectenda, donec sciant, ubi locorum aliquando connubium vel domicilium adepturi sint. Si enim offeratur eis conditio in loco catholico, volunt fieri catholici; si in hæretico, hæretici. Hi imprimis de facto sunt hæretici, et timendum ne etiam in locis catholicorum habitantes, semper tales maneant, quia fiunt catholici non propter animæ suæ salutem, sed propter temporale commodum, sicut illi, quibus dicebat Christus, Joan. VI. *Quæritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus et saturati estis, (quando videlicet paulo ante eos paverat quinque panibus): operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Ita multi fiunt catholici, non quia viderunt signa et alia fidei motiva, sed quia apud illos commoda sua temporalia inveniunt. Deinde, salutem suam aleæ subjiciunt, dum temporali commodo eam postponunt; ad eum modum quo quidam perversi homines pro sua libertate aleam jaciunt, allecti exiguo pretio ut si amittant sortem, ipsi in tremibus serviant; si lucentur, pecuniam accipiant. Denique, *stulti cum invitato isto, prius*

emunt villam; postea primum volunt videre eam: prius namque procurant sibi domum, quam religionem annexam considerent: et ita emunt villam non visam; postea videndam cum reverti nequeunt. Quid legis? Nonne scriptum est? *Quærite primum regnum cælorum et hæc omnia abjicientur vobis.*

Deinde, ita respondet, qui propter parentum suorum fidem, quam ab ipsis acceperunt, ad Ecclesiam non veniunt. Sed: *In lege quid scriptum est? Quomodo legis?* Respondet legisperitus ita a Domino interrogatus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis et ex tota mente tua*, Luc. X. id est, præ omnibus rebus et super omnia: item Matth. X. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus: et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus.* Neque hoc mirum aut durum tibi videatur: *Veni enim*, inquit paulo ante, *separare hominem adversus patrem suum et filiam adversus matrem, etc.* Ita enim omnes primi Christiani separari debuerunt, etsi multas obtreccationes pertulerunt, ut Magdalena, Matthæus, Zacchæus, Paulus, omnes denique tam nobiles, quam ignobiles, qui a parentum suorum infidelitate deflectentes ad fidem conversi sunt. Et nisi hoc fecissent, Christi fides nullibi esset. Quis enim nescit plus obligari nos Deo quam parentibus? Et quid proderunt tibi parentes in die judicii, si infidelis vel hæreticus convincaris, num forte ab ira Dei te defendent? Vel quid oberunt tibi tunc, si illos infensos habeas, Deum autem propitium? Quod si S. Hieronymus vult ut liberi volentes ingredi religionem, quæ est ad melius esse tantum salutis percalcato pergant patre, etc. quanto magis hoc necessarium in electione fidei, quæ est ad salutem simpliciter necessaria?

Ad hæc contra teipsum loqueris. Computa enim quæso parentes tuos hæreticos, cum catholicis. Nonne per 700. vel 800. annos semper habuisti majores catholicos, cum forte per 100. quidem habeas hæreticos? Utram ergo tu sequeris partem? Annon plures illos et antiquiores? Si enim unius, duorum, vel trium ad summum, avorum fidem tam pertinaciter retines, cur non potius viginti vel triginta majorum? Sed, num parentes meos ego damnem? inquit. Respondeo, num tu mavis condemnare triginta avos tuos antiquissimos et optimos, quam duos vel tres modernos? Annon vides te condemnare plurimos parentes, dum vis unum alterumve beare? Quare hæretici nostri dum nos calumniantur, hoc ipsum suis parentibus faciunt. Unde cum quidam nobilibus

Lutheranus dixisset verum esse quod Lutherus scripsit, nimirum catholicos omnes esse nebulones, respondit ei catholicus quidam si ita esset, tunc non posse ipsum probare stemma suum, nisi ex nebulonibus; siquidem majores ejus catholici fuissent. Atqui dedecus est, inquit, deserere parentum fidem, et indignum ab ea fide discedere, quam hæreditario acceperis. Sed si hoc indignum judicas, non erit indignius, quod avus vel proavus tuus, adeoque Lutherus ipse a parentum suorum fide discesserit? Quid enim quæso magis turpe, errare, an errorem corrigere? Nonne errare? Socrates cum Athenis adolescentem quemdam e prostibulo prodeuntem et præ conspectu illius egredi metuentem vidisset! *O adolescens*, inquit, *non te pudeat egredi ex hoc loco, pudeat intrasse.* Non pudeat nos deserere perfidiam et redire ad Ecclesiam, pudeat credidisse apostatis et ustulatis hominibus. Denique, si hoc arguementum eadem constantia opposuissent vestri majores Luthero et ejus assediis, catholici mansissent. Audite surdi gentilem hominem. Seneca, l. IV. de benef. c. XXXVIII. scribit: *Non est levitas a cognito et damnato errore discedere.* Atqui error vester cognitus et damnatus est jamdudum a Leone papa et reliquis, necnon a Concilio Tridentino 255. episcoporum et prælatorum, non ergo levitas, sed prudentia erit discedere ab illo.

II. Alius dixit: *Juga boum emi quinque et eo probare illa.* Per hæc intelligit S. August. quinque sensus. Tales ergo sunt, qui nil credunt, nisi quod sensibus aut intellectu suo capiunt. Nos, inquit, quinque juga boum emimus, quinque enim sensus quibus rimantur abdita terræ: illis plus credimus quam vobis. Illi clamant in eucharistia non esse nisi panem et vinum; illis ergo credimus: alii dicunt: Sunt et nobis nostri sensus oculi, aures. Non legimus Christum instituisse eucharistiam sub utraque specie, idem audivimus prædicari, etc. quare ergo nos decipere vultis catholici, et unam tantum nobis obtrudere? Sed: *In lege quid scriptum est, quomodo legis?* *Fides vestra*, inquit apostolus, 1. Cor. II. *non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Sensus nos decipiunt, ut cum solem aspicientes putamus eum stare, cum velocissime currat, non decipit fides et Christus. An nescimus illud Domini: *Si oculus tuus scandalizatus, abscinde eum, et projice abs te: bonum est tibi cum uno oculo intrare in regnum cælorum, etc.* Oculus unus est scientia, alter fides: si ergo scientia et sensus tuus scandalizat te in eucharistia, cum judicat tibi esse panem, non Christum, abscinde eum, etc. melius est tibi cum uno fidei oculo intrare in regnum cælorum, quam cum utroque perdi. Deinde, qualis, quæ-

so, esset noster Deus, si eum mens humana comprehendere posset, quæ nec formicæ naturam adhuc satis investigare potuit? Unde cum hæresiarcha Eunomius se Deum comprehendere jactaret, D. Basilius ad eum litteras dedit, in quibus de formicæ natura viginti et amplius quæstiones proponebat: quare cum ne unam quidem dissolvere posset ille, tum ait: *Si minutissimæ formicæ naturam nondum cognitione apprehendisti, quomodo incomprehensibilis Dei naturam te intelligere gloriaris?*

Deinde, mirum est, quod unus vel alter articulus tibi displiceat, cum videas fidem illam, quæ ita docuit, a Deo tam mirifice exaltatam, miraculis confirmatam, et hucusque conservatam, a tot viris sanctis mordicus retentam et defensam fuisse. Num credere potes Deum permisisse errare per tot sæcula tot sanctos? Noluisset revelare veritatem cuiquam nisi his postremis temporibus pauculis quibusdam hominibus? Sanctos illos patres toties congregatos ex toto pene orbe, non vidisse, quod unus Lutherus, Calvinus?

III. Alius dixit: *Uxorem duxi, et ideo non possum venire.* Hic designat eos qui ob vitæ libertatem, impunitatem, et dissolutionem in hæresi persistunt: non quod putem malum esse uxorem ducere, sed quod plurimi in matrimonio voluptatem tantum quærant. Quot monachi et clerici abjecto habitu in hæresi persistunt tantum ob eam causam? Qui proinde aiunt: *Uxorem duxi et ideo non possum venire?* Talis fuit Bernardus Ochinus, qui nostro tempore, quod episcopatu Florentino et cardinalatu frustratus esset, defecit ad Calvinistas et Genuæ uxorem duxit, ex qua proles aliquot suscepit; hic postmodum a catholicis, quos animæ miserabat, admonitus, respondit: *Quid me vultis facere? Uxorem abjicere non possum et liberos quo natura mea tantopere propendet. Hæ causæ erunt æternæ meæ damnationis*, testis Coste, in dom. sexag. Quam multi propterea, quod liberi sint a necessitate confitendi, jejunandi, decreta pontificia observandi, opera bona et poenitentia perpetrandi, in hæresi detinentur? Sed: *In lege quid scriptum est? Quomodo legis?* Matth. VII. ait Dominus: *Intrare per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam; et pauci sunt qui inveniunt eam?* Nonne lata porta est quam aperuit Lutherus qui nulla curat præcepta, nulla requirit bona opera jejunia, castitatem, opera poenitentia tamquam noxia execratur? Imo per eam etiam peccatores, modo fidem habeant, adeoque ebrii, qui suarum ædium portas sæpe invenire nequeunt, ingredi

queunt? Nonne lata porta Calvini, qui præter illa etiam fidem de eucharistia abrogavit? Contra vero quis nescit catholicam Ecclesiam docere et tenere arctam viam, quæ nobis serio inculcat timorem iudicii et incertitudinem salutis, opera pœnitentiæ, præceptorum observationem, confessionem, etc. quis nescit asperas esse virtutes et sacramentorum usus præsertim confessionis: et tamen non nisi per hæc ingredi non cœlum posse putamus. Jam vero sicut arcæ vitæ terminus est salus æterna, ita latæ vitæ gehenna. Sapiens, Prov. XX. ait: *Suavis est homini panis mendacii, et postea implebitur os ejus calculo.* Panis mendacii hæreticorum doctrina est, quæ liberat ab omni eo quod difficile est, et securitatem salutis promittit. Suavis est illis panis iste, vorare carnes, nubere etiam post vota, etc. sed in morte panis iste vertetur eis in lapidem, quem non poterunt devorare: *Cum dixerint: Pax et securitas, inquit apost. 1. Thess. V. tunc repentinus eis superveniet interitus.* Quid enim quæso solatii, imo quid non mœroris et desperationis habebit homo hæreticus in morte sua, cum ibi recordatus fuerit se nihil unquam boni fecisse, sed liberrime et dissolute vixisse? Quid is sperare a Deo mercedis possit, qui nihil unquam durum aut difficile fecerit, sed suavi semper et lata inaccesserit via? Imo quid non metuet, si recordetur illius: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur?* Contra vero catholicus qui præcepta servavit, quantam habebit consolationem? Qui enim hic non habuit nec quæsitivam consolationem suam, sed in afflictione patienter vixit, quomodo non sperabit ibi refrigerium? Atque ut daretur quod non esset honorum operum merces, saltem non habebit, quod timeat, quod tamen habebit hæreticus.

IV. Accedunt demum alii qui ideo se excusant, quod nunc videant in Ecclesia multos pauperes, debiles, cæcos et claudos, id est, multos perversos quasi indignentur eos sequi, et inter illos esse. Nulli quidem tales leguntur fuisse in hodierno evangelio, neque hoc prætulerunt, qui tertio vocati et venire compulsi sunt, licet pauperes et debiles jam in cœna sederent, sed non desunt tales inter hæreticos. Obijciunt enim nobis vitia nostra, et præsulum nostrorum integris libris, et per hoc satis probatam putant sectam suam, nostramque confutatam. Sed quæso te hæretici: *In lege quid scriptum est? Quomodo legis?* Matth. XXIII. scriptum est: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisei: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, facite, secundum opera autem eorum nolite facere.* Quo loco non vituperat Christus cathedram Moysis, ut notat S. Augustinus contra litteras

Petil. l. II. c. LI. nec vocat cathedram pestilentiam, quemadmodum hæretici Romanam vocant, licet multi in ea sedissent mali. Itaque securum te fecit Christus; non enim examinaberis in iudicio, quid pontifex Romanus fecerit, quid hic vel ille episcopus, etc. sed quid tu. Deinde, ministri eorum mirum in modum mentiuntur in catholicos, ut nos evangelium abjecisse, merita Christi annihilare, propriis meritis inniti, lapides adorare et ligna, pontificem esse antichristum, etc. item nos multa introduxisse veteribus incognita, uti exequias, crucem, benedictionem aquæ et olei, sanctorum invocationem, etc. quæ tam alte eorum animis infixæ sunt, ut licet nos fortissimis argumentis pugnemus, non credant nobis, sed satis se respondisse putant, si dicant: Tu es papista: papista est asinus, ergo nihil scis. Tertio, considerant tantum defectus nostros, non item virtutes et perfectiones, instar upuparum, quæ faciunt sibi nidum, non e plumis ut aves aliæ, sed de stercore. Non sciunt illi nostram doctrinam, nostra argumenta, nostros ritus, leges, bona opera, etc. longe aliter eis depingimur, quam simus; vel certe scire id nolunt. Denique, nonne ante octiduum audivimus: *Quia autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, etc.* Corrigan ipsi primum vitia sua, habebunt quod agant, longe magis quam nos.

Quid igitur, auditores, putatis ad has excusationes responsurum Dominum? Nonne id, quod invitatis in hodierno evangelio: *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Sed quoniam hæretici indigne ferunt, si eos condemnemus, siquidem obijciunt nobis Scripturam: *Nolite condemnare, etc.* non erimus tam austeri. Quid igitur dicemus responsurum illis Dominum? Putamus aulice responsurum, sicut illi se excusarunt. Dicebant illi: *Rogo te, habe me excusatum.* Ad eundem modum Dominus hæreticis, cum aliquando pulsabant fores ejus, dicentque: *Domine, Domine, aperi nobis, dicit: Rogo te, habe me excusatum.* Sic enim Prov. 1. ait: *Vocavi et renuisti, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Ego vero in interitu vestro ridebo, cum vobis id quod timebatis, e venerit.* E contra invitantur pauperes, claudi, cæci, et debiles: pauperes qui non amant bona temporalia præ Deo ejusque justitia: claudi, qui non querunt libertatem carnis, sed malunt viam arctam ambulare: cæci, qui non propriis sensibus aut scientiæ innituntur, sed fide duoi malunt: debiles, qui non horrent catholicam fidem, licet interdum in ea debiles videant rectores et subditos; sed propriam considerant debilitatem potius quam alienam. His nos ag-

gregemus, si ad magnam illam cœnam intrare, et cum Christo Domino æternam cœnare volumus.

## CONCIO IX.

## DOCUMENTA.

- I. Discunt superiores: 1. Non aspernari pauperes.
2. Iram frænare. — II. Discant servi: 1. Obedire sedulo dominis. 2. Admonere heros damni sui.
3. Reddere rationem muneris sui. — III. Discunt divites non amare mundi bona, multiplex amatorum mundi stultitia. — IV. Discunt pauperes bene sperare. — V. Discunt conjugati versari se in periculo: 1. Ob abusum matrimonii. 2. Ob distractionem a cultu divino, ob gravia conjugii onera. — VI. Discunt acatholici et infideles se non salvandos nisi per fidem catholicam. — VII. Discunt Christiani acquiescere Dei vocationibus et mandatis.

## THEMA.

*Homo quidam fecit cœnam magnam.* Luc. XIV.

Inter alias cœnas, quas designat hodierna parabola, non minima est evangelium Christi. Cœna namque est, quia ultimis temporibus mundo exhibita: cœna, quia variis doctrinarum et virtutum quasi epulis instructa: cœna, quia hic in terris satiat appetitum, ut nihil aliud quærat quam requiescere in Christo. Præterea cœna magna est, quia omnibus proposita, quotquot eam adire volunt: magna, quia a magno Deo magnis impensis parata: magna, quia degustata ad maximam eamque æternam felicitatem ducit repudiata vero ad maximam et æternam calamitatem. Viderint ergo illi qui cœnam hanc despiciunt et ob leviculas quasque causas ab accessu ejus se excusant; villam, boves, conjugem verbo Dei præferunt et interim cœlum et animas suas negligunt. Viderint, inquam, quid aliquando a cœna hujus instructore audituri sint. Vos vero, auditores, qui ad cœnam istam hodie convenistis, et per anni cursum sedulo convenistis, gratulari nobis potestis. Ego porro e cœna hodierni evangelii selectiora eligam fercula, et vobis, si non depascenda, saltem delibanda proponam.

I. Ferculum primum ex hac cœna jure merito debetur superioribus. Et quid isti discunt ex hodierno evangelio? Primo, non aspernari pauperes, infirmos, et debiles. Vident enim patrem hunc familias non horruisse pauperes, debiles, cæcos et claudos aliosque de foris e sepibus abstractos, nunquam a se visos cœnæ suæ adhibere et cum illis cœnare. Hinc forsitan olim sceptrum regnum formam aratri referebant, teste Pierio, l. XLVIII. ad insinuandam eis humilitatem, ut agricolas et infimos quosque non

spernendos scirent. Qua in re inter gentiles laude excellunt Vespasianus imperator qui non senatores solum, sed privatos etiam homines publice salutabat, accipiebat hospitio atque interdum etiam apud eosdem cœnabat, Tymp. in spec. magis. sig. LXXVII. Hadrianus imperator qui bis ac ter in die ægros invisebat, et consiliis aliisque subsidiis sublebat, teste Cuspiniano, apud eundem Tymp. Quod idem inter Christianos fecit Gratianus imperator, eodem auctore; S. Eduardus Angliæ rex, qui pauperem claudum rogatus humeris suis ad templum gestari non erubuit, teste Ealredo, in vita. Si hæc reges, quid faciant domini inferiores? Deinde, iram frænare et ita moderari, ut ne in destructionem, sed in ædificationem subditorum cedat. Vident enim patremfamilias (Deum) etsi delusum ab invitatis, iratum quidem fuisse; sententiam tamen exclusionis distulisse usque dum alii vocarentur; deinde, iram suam non vertisse in perniciem, sed in bonum subditorum, dum loco invitorum jussit mox vocari pauperes, non sustulit cœnam, non deiecit fercula per fenestram, nec canibus aut histrionibus et parasitis abligurienda ex furore dedit, quemadmodum alii quidam faciunt. Hinc bene Nahum 1. vocatur Deus habens furorum, Hebr. *vir iræ* vel Dominus furoris, quia regit iram seu vindictam: non regitur ab ira, uti communiter homines. Itaque superiores sint etiam domini iræ suæ, et nihil imprimis grave statuunt et decernunt ira adhuc durante: *Cum ira enim nihil recte, nihil considerate fieri potest, inquit Cic. 1. de offic. Optime Seneca, l. 1. de ira, c. XVI. Non irascar latroni? Non irascar venefico? Non, neque enim mihi irascor cum sanguinem mitto. Omne pœnæ genus remediū loco admoveo.* Alterius exemplo discant. Alboinus Longobardorum rex cum post triennem obsidionem Papienses seu Ticonenses certis et honestis conditionibus a rege subsignatis, sese dedissent, urbemque is prodeuntibus obviam civibus, nihilominus intrare hostili animo torvoque vultu immitem animum aperte prodeunte, cum exercitu constitisset, tum repente in ipsius portælimine, Alboini equus, rege ornato regio insidente concidit: quem erigere conati adstantes fato dejectum, utrumque immotum sensere, casumque admirati regem monuere, ut iram quam in Papienses delendos occulte fovebat animo, dimitteret, urbemque servare constitueret. Invasit illico perpetrandi sceleris pœnitentia regis animum, mutataque sententia, sensit simul fata commutari, hujuscemodi voce emissa: *Salva sint civitatis jura, et quæ spopondi, fiant eodem actu.* Quam vocem postquam emisit rex, mox surrexit sine impulsore equus. Vere igitur Sapiens, Prov. XXVII. dixit: *Grave est*